

Ipsè Dionysius, junior, quum tyrannide excidisset, interrogatus, quid Plato philosophiaque ipsi profuissent? *Ut, inquit, tantam fortunæ mutationem aequo animo feram.*

Et gaudium mihi et solatium in litteris: nihilque tam laetum, quod his laetius; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaque et infirmitate uxoris, et meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus, ad unicum doloris levamentum, studia, confugio: quae praestant, ut adversa magis intelligam, sed patientius feram.

CAPUT IX.

QUAE IN SCIENTIAE STUDIO SINT VITANDA.

1. In hoc genere, et naturali, et honesto, duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent), adhibebit ad considerandas res et tempus, et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, eisdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod, in rebus honestis et cognitione dignis, operae curaque ponetur, id jure laudabitur.

Si quis tamen ita teneatur discendi studio, ut eos deserat, quos tutari debet: ab officio discedit, et a justitia, quae in hominum tuendis commodis maxime cernitur, et contemplationi, cognitionique rerum, anteponenda est. Quod optimus quisque re ipsa ostendit et judicat. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti, contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum discrimenque patriae,